

General Leutnantier / Öfverstar / Häuptmän / Ca-
pitainer / Befalningshafware och Anförare aff
vårt Krigsfolck så til Foot som til Håst / the ware
sigh Frankoser eller aff annan Nation at the hör
samligen och strictè, hwar och en effter sitt Stånd
och så wilda des anförtrödde Rättigheet och Jurise-
diction sigh sträcker / fullgjöra och effterkomma
dhenne Declarations Innehåld och Wår ther i sat-
tade nådige Willia / Och at thetta Ord ifrån Ord /
vthi alle Städer / Vårt Rike / widh alle Stölan-
ter och Hambuer / som ock på Broor och andra Or-
ter ther thet aff nöden wara kan / publicera och
anslå / på thet at ingen må kunna föregifwa sigh
thetta ofunnigt wara. Datum Warsaile den 28.
Augusti Anno 1676.

L O V I S.

67
68.
RESPONSIO
Ad Libellum Memorialem
S. REGIÆ MAJESTATI &
REIPUBLICÆ
POLONIÆ
nuper abs Danico Ministro
exhibitum.

67
Adjunctus est Libellus ipse Danicus.

Postquam copia mihi facta fuit conspiciendi libellum memorialem, quo paucos ante dies ministro Danico apud S.^m R.^m M.^{tem} & Remp. Poloniae in nostram nationem debacchari libido fuit, illud quidem insolens aut inexpectatum haudquam visum fuit, quod & heic locorum hostes nobis excitare Dani saragant, quippe quibus odia in nos acerbitate plusquam humana exercere nativum est. Hoc dumtaxat indignitatis non ferendae judicabatur, istum hominem tam abjecte de sapientia & generositate S.^m R.^m M.^{tem} Reiq; publicae Poloniae sentire, ut frivola ista aut facta, quae deblaterat, pondus aliquod ad sanctissimorum foederum, sincerarq; amicitiae vinculum abruptendum habitura sperare potuerit. Nam cum facile concedere queamus, ut alter suo periculo insaniat, summæ injuriæ loco est, si ita temerè in furoris sui societatem nos deposcat. Quanquam autem plane confidam. S.^m R.^m M.^{tem} inclutamq; Remp. Poloniae ultro tam indecora petita averaturam, & ex iisdem genitum nationis Danicæ liquidius æstimaturam: officii tamen mei ratio utiq; requirebat, ad istum libellum quaedam reponere, num fortasse Minister Danicus permoveri possit, ut deinceps circa apricandam animi sui saniem si non pudoris sui, saltem dignitatis aliorum rationem aliquam habeat. Ac illud quidem eximie vanitatis est argumentum, quod *toto orbe extare dicitur*

præclara amicitiae monumenta, quibus quondam Reges Danicæ & Resp. Poloniae sese invicem devixerint. At qui nullibi terrarum alia amicitiae inter istos populos monumenta extant, quam quæ simplici benevolentiae contestatione, & promiscuæ humanitatis officii inter eos, quibus singularis quid negotii non intercedit, absolvantur. Quin & ea utriusq; Regni est conditio, ut aliam amicitiae speciem, nisi casu quam rarissime contingente, capere nequeat; saltem quæ nullo modo comparari debeat cum illa necessitudine, qua Regna Sueciæ & Poloniae per communis utilitatis atq; securitatis rationem adstringuntur. Sane enim & olim ea fuit gentis Polonicæ in Sueciam proclivitas, ut deficiente domi stirpe Regia ex hacce sibi potissimum Reges petere voluerit. Et Poloniam ex uno latere Domus Austriaca, ex altero Moscovia cingit, quarum utraq; etiam Suecicis ditionibus imminet; non possunt non Sueci Poloniq; mutuae conservationi studere, siquidem propriam utriq; incolumitatem amant. At Danicæ, utpote potentissimorum statuum interjectu à Poloniae dijunctæ, & quam nulli communes æmuli rationes cum hac conjunctas habere subigunt, parum interesse potest, salva sit hæcce, an pereat; eoque quicquid illa de amicitia erga hanc contestetur, intra mera & inania verba subsistere est judicandum. Quin potius cum Dani ex odio in Suecos amicitiae Muscorum adrepere, eosq; in ipsam concitare omnibus modis laborent, qui tamen Russi nulla in parte prævalere

lere Suecis possint, ut non inde Poloniae suspicio & periculum oriatur: manifestum sane est, Dano praegravem Poloniae vicinum & amulum ipsis Polonis longe esse potioem. Pariter inania sunt ea verborum lenocinia quae sequuntur de Regis Daniae desiderio amicitiam cum Rep. Poloniae à maioribus acceptam non solum continuandi, sed & majorem in modum augendi. Nam non solum per nativam conditionem istorum regnorum ea amicitia ultra verba procedere nequit; sed & ubi illa hoc tempore, tot hostibus ad exitium Sueciae imminentibus arctius adstringatur, non posset non eadem in Poloniae damnum vergere; quippe cum ex istius ruina insigniter sint augendae opes eorum, quos intra mediocritatis cancellos cohiberi Poloniae quam maxime interest. Inane quoque est, quod Minister Danicus addit; *nos omnes artes eo convertere, ut Gentis Polonicae studia animosque à Rege Daniae avertamus.* Nam quicquid nobis jam cum S. R. M. & Rep. Poloniae agitur, id nullo modo tangit amicitiam, quae per naturam status Polonici cum Dania est aut esse debet; & ut illa intra hosce terminos perpetuo subsistat, Suecia neque invidet neque repugnat. Cujus sane tanta vis non est, ut S. R. M. & Resp. Poloniae per eam impediatur, quo minus assistere queat Sueciae adversus eos, quibus cum Dano sese hoc tempore copulare placuit, & quibus ut succenseat Polonia gravissimas rationes habet. Cum praesertim toto hocce bello Dania nihil quaerat, quod Poloniae ullo modo prodesse queat. Eoque nihil contra

contra antiquam virtutem & fidem factura est Gens Polonica, si non ea solum ratione, de qua minister Danicus conqueritur, sed & longe efficaciori Suecis hoc rerum articulo adsistat. Sunt & illa genii Danici luculenta specimina, quod & Suecos Polonorum inimicos appellare, & quae ante aliquot annos Poloniae cum Danis intercedebat, conjunctionem tanquam horum in illam singularis affectus argumentum extollere non erubescat. Nam praeterquam quod lis illa, quae ante hac nostras nationes, repugnante ipsarum nativa utilitate, infeliciter colliserat, aeterna pace dudum sit composita, ipsa etiam radice, ne repullulascere aliquando posset, penitus excisa; ea sane controversia non ex ipso harum nationum ingenio, aut habitudine aliqua utriusque Regni enata est, sed ex peculiari negotio familiae Regiae; qua certorum hominum artibus ipsa tandem resp. Poloniae involuta est, repugnantibus licet multis sapientissimis, & patriae suae amantissimis apud eos viris, qui publice ac privatim contestabantur, litem privatam familiae Regiae ad Rempublicam non spectare, nec ob eam bellum sumendum in nationem, qua ut semper amica utantur, utriusque inter sit. Quo colore ergo quis, nisi plane effrons, Suecos Polonorum inimicos vocaverit? Non minus absurdum est, amicitiae Polonorum velle impertare, quod superioribus annis Dani Suecos bello Polonico distractos à tergo invaserint. Sane enim quamdiu Poloniae res in an-

gusto videbantur esse, nusquam sese ad auxilium ferendam commovebant Dani. Sed cum Suecos eo jam redactos crederent, ut nulli ex Polonia dare ut evadere, tunc demum vetus suum artificium exercere in mentem veniebat, quo solenne ipsis est Suecis insidias struere, & infortunio aliquo implicitis à tergo ingruere, adversus florentes & paratos subdolan quietem agitare. Cum igitur istud bellum Dani hautquaquam in Polonorum gratiam, sed unice ex inolita sua in Suecos malignitate susceperint, improbe nunc Minister Danicus S.^m R.^m M.^m & Reip. Poloniæ jacturam provinciarum, quam eo bello Dani fecerant, in faciem exprobrat. Porro dum idem per protervam conviciandi libidinem Suecis *fluxam ac temporariam amicitiam*, (cujus nullam idoneam exemplam afferre novit,) & *insatiabilem nullog. equi & juvis limite terminatam finium proferendorum aviditatem* objicit, contra regulas artis suæ parum memor fuisse videtur recentissimi facti, quod in æternum fidei & abstinentiæ Danicæ, si Diis placet, monumentum præstabit, dum Celsissimus Dux Holsatiæ consanguineus & sororius contra literas & sigillum Regiæ custodiæ mancipatur, & ad subscribendas iniquissimæ conditiones adigitur, subditiq; modo plusquam hostili pæcunia emunguntur. Nam quomodo Rex Daniæ paternum fidei in nos exemplum jam expresserit, memorare nihil attinet, cum in eo nil nisi semina naturæ suæ secutus fue-

tus fuerit. Sed & illud hominis non nimium circumspecti argumentum est alieni invadendi cupidinem aliis objicere, qui nuper arctissimam Domini sui cum Austriacis ac Brandenburgico societatem ambitiose inculcaverat. Parem incogitantiam arguit, quod cum paulo ante *Gentis Polonicæ antiquam virtutem & fidem* per subdolan blandiloquentiam extulisset, mox sui oblitus S.^m R.^m M.^m & Remp. Poloniæ ad parem cum Danis perfidiam, ad sanctissimæ pacis, æternorumq; fœderum violationem, ad legitime parta amicis eripienda adhortatur. Si circumspectas, quibus rationibus tam fædum facinus istis persvadere conetur, præcipuo loco audis *opportunitatem temporis*, quasi nunc maxime tempestivum sit perfidiam in Suecos exercere, quod iidem à multis simul hostibus infestentur. Atqui apud eos, queis aliqua virtus fidesq; cordi est, ejusmodi opportunitas temporis ad hoc valere judicatur, ut eo firmius fœderum religio adstringatur, & amicitia officia majore cum studio expromantur. Nam florentibus nostris rebus locis & amicis usq; adeo opus nobis non est, & iidem tunc, ut nostro favore frui queant, ultro sese nobis venditare solent. Quin amicitias & societates ideo secundis rebus nostris colimus, ut eadem adversis subsidio nobis sint. Sed qui opportunitatem temporis, & adversitates amici ad hoc valere statuit, ut citra ullam aliam causam amicitia abrumpatur, fœdera proculcentur, ad deripienda istius bona ratur is

tur, is fidem & amicitiam inter instrumenta fallendi
disponit, & publicam pejerandi atq; latrocinandi li-
centiam in genere humano stabilitum it. Sed & di-
gnum totius libelli importunitate est, quod Minister
Danicus S.^{am} R.^{am} M.^{am} & Remp. Poloniæ *verum su-
um interesse*, velut isto magistro indigentem, docere
aggreditur. Quod quidem ex mente istius primo in
hoc consistit, ut amicitia, fides ac foedera inter vitia ha-
beantur, utq; vicinus vicino perpetuas insidias struat,
& satis causæ ad eum invadendum iudicet, quod jam
cum aliis in vasoribus colluctatur. Perinde quasi non
aliquando in eos, qui eiusmodi sapientiam profiten-
tur, sua exempla recidere queant. Tum peculiariter
ostentatur Livonia, cujus repetendæ occasio si nunc
omittatur, vix unquam postea reditura sit. Atqui si
tam religiosa pace sancitæ cessiones non ulterius vim
habent, quam quousq; occasio alterum cum hostibus
luctantem à tergo invadendi arriserit, frustra circa pa-
cem componendam populi laborant, & vix ulla ratio
bellis sopiendis relinquatur. Ne multis memorem, Li-
voniam hautquaquam fuisse antiquam Poloniæ posses-
sionem, sed quæ necessitate subigente, ut sæviorem do-
minum effugeret, sub tutelam Poloniæ se contulit,
post per aleam belli iterum separata, sic ut corpus Po-
loniæ nullam inde lacerationem aut deformitatem
senserit. Et sane longe magis interest Poloniæ Sue-
corum favorem adversus præpotentes ipsius vicinos
perpetuo

perpetuò sibi habere pignoratam, quàm patrato adver-
sus ipsos quod Dani volunt flagitio, (de cuius successu
cantum illi non est) iisdem necessitatem imponere qua-
vis occasione paria reponendi, & ad æmulos Poloniæ
studium suum transferendi. Sed nec illud in mentem
venisse videtur Ministro Danico, quod nobis ansam
præbuerit longe plausibilis argumentum ab ipso con-
tra nos venditatum in locum Danorum Electorem
Brandeburgicum retorquendi, cui supremum in Bo-
russiam jus, turpi foederum nundinatione partum,
iterum eripiendi jam Poloniæ opportunitas non facile
reditura obtigit; præsertim cum subditi ejus regionis
vetus Poloniæ regimen anxie desiderent, & sub duris-
simo iugo dudum ingemiscant. Quod porro Mini-
ster Danicus Genti Poloniæ metum incutere satagit,
quasi Borussiae regali à Suecis periculum aliquando
immineat, nisi hoc tempore injusto ipsos bello petant,
id satis adparet profectum abs tali qui pensi nihil habet,
an quæ garrit speciem rationis aut probabilitatis præ se
ferant, an minus, modò aliqua viâ acerbiter animi
sui in alios exoneret. Quippe cum Suecis nulla sit
facultas acquirendi aut retinendi regionem à ditioni-
bus suis disjunctam, quam non solum Polonia, sed &
multæ nationes, quibus commercia ibi agitantur, sunt
propugnaturæ. Quin potius nemo est, quem Polonia
circa eam regionem magis suspectum habere debeat,
præter Electorem Brandeburgicum, siquidem quem
B
sibi

fibi cum sociis scopum præfixit obtinere contigerit, utpote qui metu Suecorum solutus nihil sibi commodius sit crediturus, quam eam Borussiae partem, ditionibus suis interpositam, sibiq; tam opportunam absorpsisse, quæ inter alia viam quoq; præbitura sit parandæ potentiae maritimæ, cui, cum alia ratio non supereretur, in hoc bello exercita piratica prælusit. Præterea valde jejune de sapientia S. R. M. & Reipl. Poloniae sentire oportuit Ministrum Danicum, si Eidem abs se persuaderi posse speravit verum Poloniae interesse in eo versari, ut Sueci Danicæ sociorumq; armis ad honestam & securam pacem adigantur, & intra antiquos limites compingantur. Si enim ex istis hominibus quæras, quid tam specioso vocabulo honestæ & securæ pacis intelligant, nihil aliud ipsos velle deprehendas, quam ut, Suecis Gallisq; ad incitas reductis, ipsorum factio horum spoliis locupletetur, adeoq; domus Austriaca tandem ad plenum Europæ arbitrium pertingat, oppressis qui hæctenus ejus ambitioni remoram injecerant, simulq; Elector Brandenburgicus, qui jamdudum nil nisi de Regibus in ordinem redigendis crepat, pares spiritibus suis opes sortiatur. Atqui potentia Austriaca Poloniae semper fuit suspecta, ne in ipsam quoq; aliquando tentare vellet, quod circa Hungaros, Bohemosq; ipsi successerat. Et Electorem Brandenburgicum veterem Poloniae vassallum ad id fastigii provehi, ut eidem deinceps sit formidabilis, id sane Poloniae neq;

nis neq; tutum, neq; decorum fuerit. Sic & quod istis hominibus subinde in ore est carmen de Suecis intra antiquos limites redigendis, oppidè quam absurde Poloniae occiditur; quippe qui satis intelligunt, mutilata Suecia vicinos ipsorum magis formidabiles reddi, seq; Sueciæ studiis adversus illos fraudari. Et quo privilegio cautum est Danis, sociisq;, quo minus & ipsi eodem jure, quod in cæteros statuunt, uti teneantur? Atqui præterquam quod hoc modo omnium populorum status sorsum deorsum volvendus sit, etiam Danis tunc parum lætabile sit futurum, si in antiquum statum reponatur Norvegia; siq; Domus Austriaca & Brandenburgicus Elector ad primævam tenuitatem redigantur, qui sane enormibus suis incrementis non usq; adeo modeste usi sunt, aut adhuc utantur. Enimvero S. R. M. & Resp. Poloniae, etiam me non monente intelligit, prudentis esse, ex vicinis bello inter se collisus haudquidquam unius ambitioni aut acerbitati ita favere, ut alterum plane opprimere queat; sed potius talem esse pacem quærendam, per quam populorum vires in æquilibrio permaneant, & si quis suæ libidini obsecutus æquas condiciones admittere nolit, eum à cæteris, quorum id ullo modo interesse potest, intra limites rationis redigendum. Miscet deinceps minas Minister Danicus, velut vixdum coalita Poloniae quies in discrimen danda, & reflorescens commerciorum usus penitus sit extinguendus, ni S. R. M. & Respublica Poloniae ad im-

potentem Danorum libidinem sese componat. Istud quidem est non obscure aliis statibus leges velle præscribere. Ast prolixius mihi de virtute Gentis Polonicæ polliceor, quam ut ad Dani & Brandenburgici minas sint trepidaturi. Neq; crediderim nationes illas, qui cum Polonis commercia tractant, emolumentum suum post nutus Danorum habituras. Deniq; ne quis amplius dubitet, libelli Danici scopum non esse serii quid aut æqui à S. R. M.^{ca} & Rep. Poloniæ petere, sed duntaxat nullam occasionem malignitatis in Suecos apicandæ negligere; sane petitio prorsus confusa & vaga est, quæ handquaquam in certa aliqua re figitur, nec ita concepta est, ut definiti quid ad eam responderi possit; nisi hoc unum; quod Minister ille impudenter plane nationis suæ characterem in Suecos conetur transfundere. Nam si velis exprimere hominem, qui *temporarius blanditiis non à vero affectu, sed à necessitate, metu, astuq; profectis* aliis adrepere soleat, uno verbo Danum dixeris. Tandem validissimam velut impressionem in animos Polonorum facere conatur Minister Danicus, dum rehostimenti loco, si obtineat petita, S. R. M. & Resp. Poloniæ certum suppeticarum numerum contra Christiani nominis hostem offert, sed ne istis suppeticis nimium gloriantur Poloni, additur, *subsecuta pace*; id est, postquam Dani cum sociis improbo voto potiti sunt, ut cum alios vicinos, tum Poloniam impune deinceps contemnere possint. Nimirum non desipiunt Dani,

Dani, si in ejusmodi leges cum Polonia convenire possunt, ut ipsi quidem hujus favore res suas in fastigium exoptatum collocare queant, hanc autē aliquid nescio quid in casum incertū expectare jubeant, nulla alia cautione, quam fidei Danicæ, interposita; cui quantopere nitendum sit, vel solus libellus Ministri Danici, ex intima ejus gentis disciplina profectus, documento esse potest, quippe quò nihil aliud agitur, quam ut alii ad violanda pacta nullo perfidiæ colore aut prætextu urgeantur; & in quo palmarium ratiocinium est hoc: antiqua virtute ac fide es, igitur & ipse socio & amico, ab aliis inique oppresso, perfidè insulta. Quæ cum ita sint, nullum plane dubium mihi restat, quin S. R. M.^{ca} & Resp. Poloniæ non modo fædam animi dispositionem, quæ ex libello Ministri Danici relucet, ultro detestatura; sed & eo pronius rationes suas cum Suecia conjunctura sit, quo magis ipsius quoq; interest, ne pares superbiæ suæ opes nanciscantur, qui nonnullos sub initia belli successus tam insolenter ferunt.

B 3

Ad

Ad Serenissimum Potentissimumq; Regem

P O L O N I Æ,
totamq; Rempublicam.

EXtant toto orbe præclara amicitia monumenta, quibus veluti vinculis Majores Serenissimi Reges Dania Norwegiaque, Domini mei Clementissimi, & inclita hæc Respubl. se invicem devinxere, ac non minori desiderio flagrat S. R. M. Dania acceptam à Majoribus suis angustæ memoriæ, in hac gente amicitia non solum continuandi, sed etiam majorem in modum augendi, præsertim hac tempestate, ubi ejus, Confœderatorumque suorum hostes, eò artes & consilia omnia convertunt, ut amicissimæ gentis studia animosq; ab aliè memorata S. R. M. Dania abalienent; prout jam demum Sueci palam gloriari non erubescunt, superstites ex tot bellis Polonia Legionibus ipsis submissum iri, dum eò se rem perduxisse contendunt, ut dimissa magna pars Copiarum Polonicarum ipsis abhinc in Livonia, quod miratur S. R. M. Dania, nunc militatum itura sit, quo expeditio inde miles Sueticus in ipsam, aut quenquam Confœderatorum suorum educi possit, milite Polono interea Excubiæ Sueticarum ibidem vices obeunte, sed quod minus his tam inopinatis nuntiis fidem adhibeat S. R. M. Dania, ipsa gentis Polonia antiqua virtus ac fides

fides efficit, qua persuaderi ipsi non patitur S. R. M. V. ac Rempublicam, adeò à Regia Majorum via deflecti posse, ut Inimicis suis ad oppugnandos Amicos uti velit, quin autem S. R. M. Dania pro Amico habeat, eo minus dubitat, quo recentior adhuc est hinc amicitia illinc inimicitia memoria, quam ne alius repetam novissimorum temporum duntaxat testimonia advocari operæ pretium fuerit. Ex quibus satis constat, quanti Ser. Regi Dania steterit ejusdem belli societas, quâ gloriosissimæ memoriæ Parens Ejus tot Provinciarum suarum jactura, totam belli Suetici molem & ruinam inde in se Regnaq; sua avertit. Quod si demum verò superiorum temporum officia præsentium iniquitati posthabeantur, saltem ignorari non potest, quam fluxa ac temporaria Suecia Amicitia, quamque insatiabilis nulloq; sive æqui sive juris limite terminata finium proferendorum aviditas sit: Quapropter S. R. M. Dania haudquaquam verisimile videtur, quin potius certò persuasa est S. R. M. V. ac Remp. ad verum interesse suum hac opportunitate attenturam ne tam formidolosæ vicinitatis partes hac tempestate, adversus S. R. M. Dania Confœderatosq; suos imprimis vicinos, quibus cum nunc arctiori, quam unquam aliàs Fœderis nexu jungitur, tæsi, vixq; cum coalitam quietem Patriæ, denuo in discrimen dare & resplendentem Commerciorum præcipuè usum, penitus extinguere velit. Quod si igitur S. R. M. V. & Respublica partem Exercitus sui exauctorandam

cen sue

consuetudine fore sperat S. R. M.^{us} Daniæ, ut ipsi potius & Confederatis suis concedantur, non solum quæ dimittentur forte Copiæ, sed etiam ipsa temporis opportunitate, ejusq; auxilio ad recuperandas ditiones suas uti malint; Quæ omnia ut optatum exitum sortiantur S. R. M.^{us} Daniæ desiderat, ut conducendi militis in Polonia ac Prussia ipsi saltem facultas concedatur, eademq; hostibus suis publicò interdicto adimatur, & si qui forte Polonorum jam à Suecis conscripti, & sub ipsorum signis habeantur, illico discedere & ad suos, se recipere jubeantur. Id quod facilius impetratum fore credit S. R. M.^{us} Daniæ, quo magis S. R. M. V.^{us} ac reipublicæ Polonæ interest, Suecis suis sociorumq; suorum armis ad honestam ac securam demum pacem, intraq; antiquos limites redigi. Fallunt sane & falluntur illi, qui credunt, vel alios ut credant inducere conantur, temporarias Suecorum blanditias à vero affectu potius, quam a necessitate, metu, astuq; proficisci; siq; præsentem repetendæ Livoniæ occasionem, vix unquã abhinc redituram transmittant, frustra aliquando etiam de amissa Prussia Regali conquerrantur, seroq; eos, Sueciæ fallacis amicitia pænitebit. Quicquid autem horum obtinuerit, S. R. M.^{us} Daniæ, pro benevolentia ac sinceræ amicitia tessera habebit, seq; mutuò officiorum genere S. R. M. V.^{us} totiq; Reipublicæ Polonæ ad omnes eventus devinctam eoque reputabit, ut subsequente pace ad certum suppeticarum numerum sese contra Christiani Nominis hostem vigore mandati mei obstringat.

Post

Post excusa superiora pervenit in manus ipsius Dn. Legati proprium Responsum Warsaviæ redditum, ipsiq; Regi Poloniae vice Memorialis traditum quod hic subjungere visum fuit.

Serenissime & Potentissime Rex.

Communicatum mihi est nuper ab amico in Germaniã degente scriptum quoddam S.^{re} Regiæ M.^{re} Vestrae totiq; Reipublicæ à Ministro Danico oblatum. Quod cum planè modestiam exuat, & virulentis maledicentiæ aculeis refertum Sueciam ardat, vix alios quam Danos autores habere potuerit, si Brandenburgici excipiantur. Illis quippè solenne est, sine rubore calumniari, ac convitiis probrisq; insectare. Indignum responso omni videri posset, cum vanitas & falsitas ejusdem ubiq; manifestò pateat. Verùm cum inter sit S. R. M.^{us} Sveciæ Regis & Domini mei Clementissimi, injurias, in ipsam totamq; nationem Svecicam effræni licentiã eongestas refutari, muneri q; mei ratio hoc à me officium necessariò exigat, liceat cum gratiã S. R. M. V.^{us} ad singula capita scripti istius famosi respondere, eademq; libertate & jure, quod nobis in se Danici scriptoris, quantumlibet Regis mandatis fulta, immodica tamen & inverecunda licentiã quasivit. Unde nimis lacessitū compulsiq; le-

C

cet

cet mitiora malemus, æqua tamen reponere cogimur, non quidem animo ullo Injuriis certandi, verum ut ostensa Sveciæ innocentia ipsa veritas à Danis miserum in modum laniata, vel involucris abdita, nuda & manifesta M.^o V.^o in conspectum sistatur.

Nescio quâ fronte deprædicare audeant sua in Remp. merita Dani, quæ adeò nulla extant, ut potius monumentis Historicorum proditum sit, non semper eos bonâ fidè cum Borussis, qui partem Reip. hujus constituent, antiquis temporibus egisse, imò certamina inter gentes Sarmaticas & Danicas commissa, mariq; ab hisce in classes incendii sævitum fuisse. Tantumque abest, ut olim vel nuper aliquid in rem hujus Reip. egerint Dani ut facile etiam ad manus documenta haberi possint, quibus evincitur Ser.^{mo} Regi Sigismundo III. omnibus aliis in rebus ipsos defuisse, præterquam in iis quæ tam ad Sveciam ab ipso alienandam, quam Polonos in Sueciam, utriusq; partis detrimento, concitandos usui fuere. Forsitan autem hoc inter argumenta sua in Poloniam sinceritatis candorisq; referent Dani, quod Anno 1657. ad Seren.^{issimam} Regem Johannem Casimirum scribentes, soluta obsidionis ad Friderici-Uddam partæq; ibidem de Svecis victoriæ cujusdam ostentatione Polonos in societate contra Sveciam confirmare non sint veriti, utcumque postea constiterit, nec Svecos ibidem Danorum armis repressos, nec à cingendâ obsidione Friderici-Uddâ destitisse donec illa magna Da-

gnâ Danorum clade, & majore ignominia caperetur. Omnium verò rerum certissimum est, nec tunc temporis, nec unquam alias ullo ex affectu erga Remp. Poloniam arma sua in Sveciam vertisse Danos, verum potius ex aviditate aliena occupandi, cum ab occasione ad id invitari viderentur, quod jus sæciale armatæ Daniæ evidentissimè probat, etiamsi larvam pietatis in Poloniam fronti obiter obduxerit; Univerfus scit orbis, quid deinde Reip. commodo præstiterint Dani, qui viribus ejus contra nos defensi, majorem illi gratiam debebant, quam ut illam auxilia contra Turcas poscentem, non re tantum omni, sed & spe vacuam relinquerent, agerentq; non aliter, quam ut Remp. frustra illuc missi Ablegati pænitere oportuerit. Hoc tamen multorum judicio à Daniâ tunc temporis expectandum vix erat, cum illa opibus, viribus, sæderibus potens & instructa esset. Verum illa tunc otiosa, & complosis velut manibus ruinas Europæ spectans, pacis consilia subdolè turbabat, nunc incendia orbis callidè fovens ut sese peregrinis litibus immisceret, & socios suis cladibus involvit, ita fallente spes inanes funesto successu, licet fœderatis suis gravis & onerosa & rebus quas temerè ausa impar inveniatur, nihil tamen ab odiis & invidia in Sveciam remittit, ut saltè verbis, iniquis postulatis minisque re inanibus, tam Noviomagi quàm alibi passim, causam suam agere & dignitatem tueri videatur.

Ait Minister Danicus, Daniæ hostes nominatim
Suecos consilia omnia eò convertere, ut studia gentis
Polonæ à Dania abalienent &c. Quod quatenus veri-
tati consonum sit, nemo melius noverit quam M. V.
cui parum quod ad Dania pertineret possit, scriptis
vel oretenus exposui. Nec bene memini an usquam
Danorū in Suecos perfidiam pro merito perstinxerim,
imò licet mihi contaret Ser.^{mum} Daniæ Regem & Ele-
ctorem Brand.^m missis ad S. R. M. V.^m literis id ef-
ficere tentasse, nè M. V. me in aula sua præsentem pa-
teretur, tacui tamen, & ex ista persecutione solatium
cepi gloriæque mihi duxi, quod fidem in Regem & Do-
minum meum tanta capita anxia solitudine suspice-
rent. Cæterum, nullo me hætenus Dania vexavit
metu. Non enim ignarus fui, parum commercii inter-
cedere inter Poloniam & Dania, quam plurimum
verò inter Poloniæ hostes, tam manifestos, quam occul-
tos & Dania; præsertim ex eò tempore, quò spe se
dejectam vidit, transferendi sceptri Polonici in manus
Principis ejusdam Dani, quò votum DEUS justissi-
mus Regnorum Arbitrator, & M. V. incomparabilis vir-
tus, Reip. publicæ sapientissimum judicium, elase-
runt, maximo inclytæ gentis Polonæ bono & emolu-
mento; utpotè cujus libertati Regnis Tyrannicis in-
asveta, Princeps ex domo non tam Regnatrice quam
Dominatrice ortus & artibus dominandi imbutus exi-
tio facile esse potuisset.

Pergit

Pergit porrò Danus asserere, Suecos palam glori-
atos esse &c. Cum ego mihi istiusmodi rerum consci-
us non sim neq; credam ullum Suecorum Ministrorum,
alibi tale quid dixisse vel scripsisse & ipsa porrò rerum
evidentia quæ fallere non potest, satis manifestum red-
dat, Suecos nihil hætenus egisse, undè miles Maj. V.
& Reip. Polonæ vel exauctoratus vel exauctorandus
ad ipsos transiret, nescio undenam hæc infomnia & ter-
rores Danos ac Brandenburgicos urgeant. Nam res il-
la quæ Generosum Rybinski spectat, toto cælo ab hac
imputatione distat, quippè eodem jure, quò Electori
Brandenburgico, olim operas suas adversus Suecos ad-
dixit, postea Suecorum partes impetrata prius ab Ele-
ctore venia, amplecti potuit. Verùm ut ad assertio-
nem Auctoris revertar, quantumhabet illa maxima fi-
dencia ab eodem venditur, nondum tamen illi fidem
M. V. habere dignetur, antequam idoneè probet vera
se dixisse; quod si nequit, erubescat, aut saltem cautior
imposterum innocentibus gravis esse desinat. Longè
enim alienum est à Suecicæ mente & moribus, ut Polo-
niæ vires labefactare voluerit, ut ullum militiæ M. V.
& Reip. addictam consultò sciensque conduxerit, du-
rante præcipuè bello Turcico, quin potius suis opibus
& flore militiæ suæ, Poloniam gratis juvare decrevit,
quod consilium corripit Elector Brandenburgicus fœ-
dis fragio novissimo in Sueciam, quæ hoc nefas non ma-
gis detestata est, quam immanem ejus in M. V. & Remp.
impie-

C 3

impietatem, & invidiam, quæ temeratis, ut frequenter solet, fidei fœderumq; sacris, undè Reip. ex beneficiis immensis obligabatur, non minora tantum quam debuit, subsidia illi misit, sed & submissa præter urgentem necessitatem revocavit, undè Turcis animi creverunt, revocataq; demum ex desertoribus militiae Polonicae ad eò adauxit, ut duplo vel triplo ferè numerosiori quam, quem miserat, milite Polonia exiret. Taceo quantum sanguinis Polonici in castris militet, quorum pars magna astu officialium Electoralium ad transgressa sollicitati, M. V. Reip. Dominisq; suis pereunt; nec majori probitate M. V. & Reip. se commendaverunt Dani, quam ut in Borussia, militem conducentes parum ab eo abfuerint, ut, licet non factionibus, tumultuariæ tamen inter gentis istius incolas, & Gedanensium præsidiarios pugnae occasionem præbuerint. Nam Danicus Minister sine consensu M. V. & Reip. nonnullos officialium militiae Polonæ in partes Regis sui pelliciat, curiose explorare nolui; non enim mihi tanti videntur ea, quæ rumores de eò circumferunt, ut aliquam sollicitudinem cuiuspiam injicere debeant; sufficit Sueciam non alios milites conduxisse, nec conducturam esse, quam eos, qui nullo sacramento militiae M. V. & Reip. obnoxii, sine ullius injuria, cujuscunq; velint signa licite sequi queant. Salutare autem Consilium M. V. & Reip. Danus suppeditat, monens, nè M. V. inimicis suis ad oppugnandos amicos uti velit.

A-
mici-

amicitia quam cum Polonia olim Dania coluit, ad usum momentaneum composita fuit, statimq; evanuit, quam primum Dania metu suo & malo liberatam se vidit. De inimicitia Sueciae Polonicae; dici potest, odiis eundem terminum fuisse, qui armis, eaq; sospite adhuc Regia Vasorum Domo unde exorta fuerunt, vel saltem una cum ipsa interisse. Amicitiae autem duorum horum Regnorum valde alia est ratio, quandoquidem ejus causæ sunt perpetuæ & naturales. Hinc olim unanimis harum gentium in mutuam tutelam & communia emolumenta adversus alias, consensus, utriq; incrementa fortunæ, eximia attulit, & manifestus in Carolum VIII Sueciae Norvegiae; Regem Casimiri Poloniae Regis affectus Sueciae amicitiam à Polonia Danicæ anteferri debere, evidenti prudentiæ exemplo demonstravit. Undè Suecia ex momento conclusæ cum Polonia pacis rebus suis florentissimis, Poloniae fidam animorum consiliorumq; ac virium, societate multotiens candidè ac serio imò gratuito obtulit, utcunq; Reip. Polonæ res nonnunquam parum secundæ vel prosperæ esse viderentur; Danis interea nullo conatu, studio, aut opera in commune consulentibus, haud aliter ac si nulla Reip. Polonæ Cura ad ipsos pertineret. Quantumlibet verò vel infelix temporum conditio, vel aliquid aliud obstiterit, quò minus circa intimius fœdus, Sueciae votis satisfaceret, aut Polonia fructu qui ex tam salutari opere, certò oriturus erat, gauderet, adversaq; ista quæ
postea

postea sustinuit magna ex parte evitaret: vix tamen
nullum illustrius conspectiusq; toto terrarum orbe ar-
gumentum ad asserendam constantiam sinceri Sueciae
in Poloniam affectus, & demonstrandam Danorum
calumniam inveniri poterit. Proinde cum Suecia ni-
hil hoc ipso unquam quaesiverit unde Poloniae res, & o-
pes atteri diminuiq; sed potius crescere & amplificari
possent; satis id ipsum absolvet Sueciam ab omni su-
spicione aviditatis insatiabilis proferendorum termino-
rum, ejus illam infimulare Danum non pudet. Qua
moderatione Suecia cum hostibus transegerit, testis est
Germania cujus servatae mercedem exiguam Suecia re-
tulit. Quid autem de Dania sentiamus? Quam Suecia
intra Urbis unius moenia bis coactam, paucarum parva-
rumq; Provinciarum jactura, ob non fluxam, vel tem-
porariam, sed perpetuam fidei inconstantiam & volu-
bilitatem multavit, multatam vero reliquarum usua bea-
tiorum quam antea reddidit, & tantum abest ut Suecia
Daniae incrementum aliquod inviderit ut potius ex pura
liberalitate nonnulla restituerit & adjecerit. Illa ve-
ro tanti beneficii immemor imò Regia quoq; domus
dudum oblita se Sueciae viribus, armis & opibus adju-
tam expulso Christiano II. Tyranno florentibus de-
in Regnis per secula imperasse uti saepe alias ita & nunc
quoq; Sueciae impares & immeritas ingrati animi vices
reddidit, & nuperrime quidem est, quod Sueciam spe
foederis intimioris oblata diu lactatam detinuerit, mox
ad

ad momenta fortunae varia & praecipua, ad hostes Sueciae
nullam honestam ob causam, abrupto omnis juris
gentium commercio, deflexerit, ac demum inhumano
odio & asperitate bellum contra ipsam gerat in favo-
rem Electoris Brandeb. quo deteriore pejoremq; ho-
stem M. V. & Polonia nec habuit unquam nec habi-
tura est. Perpendat obsecro M. V. an ex re sit Reip. ut
militi ex auctoritate libertas concedatur, ad partes illas se-
se vertendi quae ex avaritia, savitia & caeco impetu ne-
gotiis ad se non pertinentibus contra fidem datam & so-
lennia foedera sese immiscuerunt; pacis spem om-
nem in Europa integrandae jugularunt, Turcas in
M. V. & Remp. duriores reddiderunt, dum vel M. V.
debita subsidia abstulerunt, vel ne aliunde mitterentur
motibus suis in causa fuerunt, quosq; M. V. & Resp.
infensissimos est sentura hostes nisi Deus brevi Europae
pacem restituat, vel M. V. opportuno tempore istam sibi
& Reipub. imminentem occupet & antevertat. Retineat
itaq; quaeso M. V. & Resp. copias suas, ipsarumq; utantur
ad recuperandas prout Danus suadet, provincias suas à
quibus Sueci, ad M. V. intercessionem meo ministerio ab-
stinnerunt; Borussiae scilicet Ducalem & Butaviensem
Lavenburgensem, Draheimensemq; districtus, quos
partim fraude, partim vi & iniquis pactationibus Ele-
ctor. Brand. Reip. extorsit, nec tamen Conditiones
Foederum implevit, quorum vigore indebita benefi-
cia adeptus est. In illum & socios personatos istos

D

M. V.

M. V. & Reip. amicos, reipsa hostes venenum pectore
foventes, qui histrionum more sub vario schemate
in scenam prodeunt & vespertilionum ritu, noctu cir-
cumvagantes, pestifero ambitu prælationibus, frau-
dibus & corruptionibus Rempub. hanc turbant, ar-
ma ultricia M. V. & Resp. vertant, & si majestas V.
suam contra illos causam agere nolit, saltem evictio-
nem Sveciæ præstet, fœderis Olivenfis quod, ut & plu-
ra, Elector. Brandeb. nefariè fregit rupitq; neq;
permittat M. V. militibus subditisq; suis tam turpi
causæ patrocinari, qualem Dania & Elect. Brandeb.
entur. Nam ut ut Svecia Paternas DEI castigantis ma-
nus senserit, manifestum tamen reddit Divina Neme-
sis gemina & memorabili Danorum clade, perfidiam &
iniquitatem funestos sortiri eventus & verti posse mo-
mento res humanas, nisi justitia & æquitate nitantur.

Restat ut S. R. M. V. ex sincera devotione &
pietate moneam nè Danis facile fidem habeat quippe
non majorum tantum documenta & fides historico-
rum probant, Danos fide non servata Pœnos æmulari
solere sed & poterit id ipsam probare negotium illud,
de occupandis Belgarum Navibus in Portu Bergenfi
Norvegico, inter Seren. Magnæ Britannia Regis Mini-
strum & Daniam gestum, ubi Anglorum ingenno can-
dori Danorum varicies adeò imposuit, ut si inter pri-
vatos res acta fuisset, naufragium fidei Danos fecisse
potius quam ex civili prudentia egisse existimari de-
beat.

beat. Parum melioris notæ sunt recentia in Se-
ren.^m Holsatiæ Ducem Danorum commissa; imò bel-
lum hoc, quod Svecis intulerunt Dani, evidentissimè
orbi manifestum reddit, à nullis pejus quam à Da-
nis præcepta fidei servandæ exemplo tradi posse;
idque non tam procedere ex necessitate metu-
que cujus quam maxime capaces esse solent, qui
non exploratis viribus suis temere vicinos aggredi-
untur & amissâ virium suarum maximâ parte famam
belli falsa veris assuendo tuentur, quam ex obliquo li-
vore & invidia quâ Dani acutis oculis, Sveciæ fortu-
nam limantes dum se frustra eam oppugnare sentiunt,
ira & mœrore ad extrema acti, quasi propria pectora sua
rodentes seipos conficiunt. S. R. M. V. humili-
mè mihi quoq; roganda est, ut tam vanitatem mina-
rum, quas Danus & socii passim scriptis suis tanquam
flosculos inspergunt, heroico, vel contemptu, vel super-
cilio, despiciere quam inania promissi Danici, ad calcem
memorialis adjecta, èo quo digna sunt risu explodere
velit. Offert M. V. suppetias contra Turcas Danus,
cum quo tamen non dissimulat se scire pacem hoc tem-
pore M. V. inivisse. Nunquid ergò aliud agere po-
test, quam ut hoc ipso M. V. auctor sit, nè pacem &
amicitiam colat, vel fœdera servet, cum iis quibuscum
in gratiam rediit, nisi ritu & more Danorum id est, ut
fœderibus, paci & amicitiæ, nulla vis & integritas un-
quam extet, verum ut lites, bella & certamina ex ipsis
pacis

pacis auspiciis orientur ac resurgant, perverloq; ratio-
nis & naturæ ordine cunas à tumultis & originem à fine
suo moliantur. Exigua & tenuia porrò M. V. à Da-
nis auxilia expectet necesse est, cum non suis ipsemet,
sed sociorum viribus nitantur, quibus nunc fractis &
accessis quæralis lamentationibus gementes, nova auxi-
lia per aulas Principum Germaniæ & apud Ordd. fœ-
derati Belgii mendicatum ire dicuntur.

Plura his addere supervacaneum existimo, certus
S. R. M. V. & Remp. Poloniæ ex Pietatis, Pruden-
tiæ & virtutis generosæ dictamine non verò ex impro-
bis Danorum & Brandenburgicorum suggestionibus, fi-
dem & fœdera, societatis humanæ vincula, metiri co-
lere, ac servare, consiliaq; sua eò dirigere, ut cedant in
DEi O. M. gloriam, Europæ tranquillitatem, ac Re-
gnorum Sueciæ Poloniæq;, perpetuam concordiam,
quâ uti utriusq; Regni vires, gloria & incolumitas pri-
scis olim temporibus floruerunt, atq; in adultâ felicita-
tem crevere, ita quoq; in posterum crescent vige-
buntq;, imò in ipsam durabunt
æternitatem.



Puncterne / 69.

Vppå hwilka Freden emellan Hans Kongl.
Majst. aff Pohlen och Ottomanniske Porten
lyckeligen träffat worden.

I.

Ractaterne med Sal. Konung
Michael skola härmedh aldeles
olifwa vphäfne / om them skal
här effter äth intet meer wara at
tala / mycket mindre then ene eller then an-
dra Delen någre Conditioner ther aff sigh
til godo draga.

2.

Vthi Podolien behålla Turckarne
Kamint medh en wisz Omkres / som Ko-
nungaen them föreskrifwit / och ehuruwäl
Bass:n ingen absolut Macht hafwer dsver
dhesse Puncter at handla / så twiflar han
dock icke / at Keysaren och dhen Ottoman-
niste